



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

1. Sit immensa, &c. Declaratio contra Henricum Borbonium, affectum
Regem Navarræ, & Henricum Borbonium præter ipsum Principem
Condonensem, Hæreticos, eorumque Posteris, & Successores, ac liberatio

...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

de quasi possessione præcedentiæ hujusmodi, inter Fratres quidem Mendicantes, ii, qui antiquiores in loco controversiæ, inter Confratres verò inter se ligantes ii, qui prius facis usi sunt, in Processionibus tam publicis quam privatis præcedere debeant, ita ut si contigerit nova Monasteria, aut Domus alicujus Ordinis Mendicantium, in loco, in quo alterius Ordinis ex dictis Mendicantibus Monasteria, aut Domus prius erecta & instituta sint, ille Ordo, qui prius Monasterium seu Domum in loco haberit, præcedat.

§. 4. Præterea quia inter prædictos Ordines plerumque alia, in Processionibus, & alia in Conciliis Generalibus, & aliis actibus publicis sive privatis, ratio circa modum præcedendi servatur, nolumus per præsentis prærogativis dictorum Ordinum, quoad præcedentias hujusmodi, quæ propriis Ordinibus præterquam in Processionibus prædictis debentur, aut Fratribus Capucinis nuncupatis, qui in Processionibus publicis sub Conventualium Sancti Francisci, aut Minorum de Observantia Fratrum nuncupatorum, Cruce, ut folent, incedere possint, aliquod præjudicium generari.

§. 5. Sicque per quoscumque Judices & Commissarios, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari & definiri debere, ac quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Ecclesiarum, Monasteriorum, Ordinum, Congregationum, Domorum, ac Confraternitatum quorumcumque, etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis, illis eorumque Superioribus & personis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio, aut alias quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis & innovatis. Quibus omnibus, illorum tenores præsentibus pro sufficienter & expressis habentes, illis aliàs in suo robore permanentibus, hac vice duntaxat specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 7. Volumus autem, ut præsentium transumptis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in iudicio, quam extra adhibeatur, quæ præsentibus litteris adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, sub Annulo Piscatoris, die 15. Julii, millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, Pontificatus nostri anno duodecimo.

Anno à Nativitate Domini 1583. Indictione II. die verò Dominico 17. Mensis Junii, Pontificatus verò Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini Gregorii, Divina Providentiâ Papæ XIII. anno 12. retrospectæ Litteræ Apostolicæ in forma Brevis expeditæ, assixæ, & publicatæ fuerunt in acie Campi Floræ, ut moris est, per nos Petrum Guerram, & Melchiorum Riccium, ejusdem Sanctissimi Domini nostri Papæ Cursores.

Joann Baptistâ Bagni Magister
Cursor.

SIXUS QUINTUS.
PONTIFEX CCXXXI.
ANNO DOMINI MDLXXXV.

Sixtus magni Nominis Pontifex, humili loco natus, parentibus ignobilibus. Sanctum Bonaventuram Ecclesiæ Doctores addidit. Fabricam S. Petri promovit, & Tholum absolvit. Obeliscos quam plurimos erexit: erectaque ipsi fuit in Capitolio area Statua, Majora egisset, nisi cum mors prævenisset. Obiit Pontificatus anno sexto: (*Magni Bullarii Romani hujus Editionis Luxemb. 1727. Tom. II. fol. 526. App.*)

Declaratio contra Henricum Borbonium, assertum Regem Navaræ, & Henricum item Borbonium præsentem Principem Condensem, Hæreticos, eorumque Posteris, & Successores, ac liberatio subditorum ab omni fidelitatis, & obsequii debito: anno 1585.

I.
Ex Mon.
Gold.
Tom. 3.
pag. 124.

SIXTUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei ad futuram rei memoriam.

AB immensa æterni Regis Potentia, Beato Petro ejusque Successoribus tradita auctoritas omnes terrarum Regum & Principum supereminet potestates, stabilique in petra consistens, nec ullis adversantibus, vel etiam secundis fati à recto destexa, inconcussa profert in omnes judicia: & ne Divinæ maxime Leges violentur, summa ope providet, & si quos Ordinationi Dei resistentes invenit, severiore hos vindicta ulciscitur, & quamvis potentiores de folio dejiciens, veluti superbientis Luciferi Ministros, ad infima terra deturbatos prostrernit.

Quare pro incumbenti Nobis Ecclesiarum omnium, Populorum ac Gentium sollicitudine, ut animarum saluti inprimis prospiciatur, & non solum famulatus nostri, sed etiam omnia futura tempora, impiis ac detestandis monstis purgata, cunctis Christiani Orbis partibus pacem afferant, & quietem: & præsertim amplissimo Gallia Regno, in quo Christiana Religio omni tempore ita viguit, tantaque Regum illius pietas, fides, ac devotio: tot in Romanam Ecclesiam merita extiterunt, ut ii jure optimo gloriosissimum Christianissimi cognomen ab ea sint consecuti; ac etiam ne Nos de neglecta Officii Nostri Cura unquam apud Deum argui possimus, arma Militiæ Nostræ, quæ non carnalia sunt, sed potentia Deo in destructionem munitionum, nunc contra duos potissimum iræ filios, Henricum Borbonium quondam Navaræ Regem, & Henricum Borbonium, olim Principem Condensem, exercere compellimur. Ille enim quondam Rex Calvinæ erroris, atque hæreses etiam ab ineunte adolescentia securus est, pertinaxque earum patrocinium tandiu exercuit, quoad clar. mem. Caroli Noni Francorum Regis, & charissimæ in Christo Filia Catharinæ Regina, & ejus Matris pietissimæ, atque etiam dilecti Filii Nostri Caroli, tit. S. Chrysoconi Presbyteri Cardinalis Borbonii, patris sui, & Ludovici Montpensieri Ducis, piis, frequentibusque hortationibus, aspectisque eximie virtutis ac Doctrinæ Theologorum demonstrationibus ad Fidem Catholicam, & Apostolicam Romanam (ut existimabatur) conversus, hæreticas omnes contra Fidem Catholicam opiniones Parisiis publicè in Ecclesia damnavit, anathematizavit, & abjuravit, Fidemque ipsam Catholicam expressè professus est; datis

que subinde suis ad felices recordationis Gregorij Papam XIII. Prædecessorem nostrum Litteris, quibus eundem Prædecessorem Supremum Catholicæ Ecclesiæ Caput jam agnoscens, ipsum simplex deprecabatur, ut pœnitentiæ, conversionis, & obedientiæ suæ confessionem acceptam habere, & antecessorum veniam, remissionisque gratiam concedere dignaretur: firmiter promittens se Fidem ipsam Catholicam perpetuò, integrè, ac inviolatè servaturum. Quibus Litteris utpote Regis idem Prædecessor credens, & paternæ charitatis viscibus commotus, ac etiam gravissimo Regis, Reginae Matris, Cardinalis, & Ducis prædictorum de hujusmodi conversione testimonio adductus, illum ipsum præteritos errores consentem, veniamque humiliter petentem à crimine hæresis, & à Censuris Ecclesiasticis propterea incursum absolvit, & in gremium Sanctæ Matris Ecclesiæ, communionemque Fidelium admisit, omni inhabilitate ab eo sublata. Quin etiam, ut arctiori & firmiori vinculo ligaretur, cum eo, & Margaritha dicti Caroli Regis Sorore, quæ ex illa Christianissima Stirpe nata, atque alta, faciliè Maritum in Officio, & Religionis Catholicæ observantia continere posse sperabatur, dispensavit, ut non obstantibus impedimentis tertii, & aliorum forsan inter eos graduum consanguinitatis, & cognationis spiritualis, matrimonium inter se contrahere possent, prout in facie Ecclesiæ contraxerunt, excursisque deinde aliquot mensibus ille Johannem Duratij Dominum Oratorem suum, qui nomine suo de pœnitentiâ, conversione, fide, & constantia sua in Sedis Apostolicæ conspectu sponderet, ad dictum Prædecessorem delegavit: habitoque pro eo publico, solemnique in Aula Regia de more Consistorio, in consessu Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Prælatorumque, & aliorum frequentissimo concursu, professis omnibus supradictis, idem Henricus tanquam Rex recens ad Fidem conversus, & ut Catholicus admittitur, tota urbe exultante, & ingentes Deo de conquesta & inventa ove gratias agente. Sed ille, ut erat vario, & inconstanti animo, haud multò post à Catholica Fide, & debita erga Sedem Apostolicam obedientia, cæterisque à se expressè, & cum juramento professis deficiens, atque in eo, quo prius erat, caeno revolutus, à Rege Christianissimo clam se subducens, collectoque in loco ab ipsius Regis aula factis remoto, quam potuit, copioso hæreticorum sceleratorum, aliorumque id genus impiorum hominum numero, ibi ea omnia, quæ de Calvinismi detestatione, ac Romanæ Fidei Catholicæ, & Apostolicæ Professione antea fecerat, palam revocavit: testificans se Calvinismum ipsum profiteri, prout professus est, eique hæresi pertinaci, & obducto animo semper adhæsit, & in ea hucusque vivens, sæpius hæreticos perduelles, ac seditiosos (quorum caput Dux, & Propugnator in Gallia, & etiam exterorum hæreticorum acerrimus fautor semper fuit,) ad arma contra prædictum Carolum ac etiam charissimum in Christo Filium nostrum Henricum Regem Christianissimum, tamen eum ut Regem, ac Dominum suum colere, ut fororiam amare, & sequi debeat, omnis scilicet officii, ac pietatis immemor, adversus ipsum, & reliquos Catholicos omnes concitavit, infestissimos Exercitus, accitis etiam externarum Nationum hereticis contraxit, à quibus omnia passim loca cruentis piorum hominum cædibus fœdata, Sacra Dei Tempa temerata, & diruta, Sacerdotes, & Viri Religiosi cruciatibus trucidati sunt: Oppida præterea, & Munitiones Catholicorum partim insidiis, partim vi, & armis occupavit, & in eis Catholicæ Ecclesiæ ritus prohibuit, ac sustulit, Ministros & Concionatores hæreticos constituit, cives & incolas ad eandem impietatem capessendam minis, verberibus coëgit. Sed ne hæc quidem satis se existimans, inter alios, intimum quandam suum nefariis artibus

suis instructum, extra Galliæ fines ad diversa loca misit, per quem cum primariis hæreticis impia consilia sua communicavit, eorumque vires, & arma contra Religionem Catholicam, & Romani Pontificis potestatem provocavit; conciliabula quoque hæreticorum in diversis Provinciis habenda curavit; quorum nonnullis (dum iniquissima ibi fœdera contra Fidem Catholicam, ac præsertim contra Ecclesiæ, Clerum, & universos Catholicos Regni Franciæ tractabantur) ille non solum interfuit, sed etiam præfuit. Henricus verò Borbonius, Princeps Condensis, utroque parente hæretico genitus, cum illi exitialia Calvinii dogmata, eorumque Ministros pertinaciter in omni vita fovissent, eorundem Patris, ac Matris secutus hæreses, consimilia facinora etiam adolescens perpetravit: deinde eadem illa, qua alter Henricus, operâ, viam veritatis pœnitentiæ, & humilitate cordis, quantum conjici potuit, arripiens, detestatisque pariter & abjuratis publicè omnibus hæreticorum erroribus & deliramentis, Fidem Catholicam, ut præfatur, professus est. Quibus ad eundem Pontificem perlati, ac etiam pro eo similibus precibus porrectis, ipse Prædecessor illum, ac etiam quondam Mariam Clivensem prætenfam Conjugem suam, eodem tunc hæresis crimine infectam, simili modo pœnitentem, detestantem, ac profitentem ab hæresi, & censuris hujusmodi absolvit, eosque in gremium Catholicæ Ecclesiæ, fideliumque consortium recepit; quin etiam ex paternæ charitatis abundantia, cum eis, ut non obstante impedimento secundi gradus consanguinitatis, quo invicem tenebantur, matrimonium inter se contrahere possent, dispensavit. Sed ille paulò post ad pristinam impietatem rediens, deterrimamque illam viam, quæ signata & impressa erat vestigiis quondam Ludovici Condensis, patris sui, impiissimi Catholicæ Ecclesiæ persecutoris ingressus, eisdemque vestigiis insistentem, se quoque hæreticorum, ac concelatorum hominum dicti Regni Galliæ Ducem, & Defensorem, bellorumque civilium, & seditiois Auctorem præstitit; militum hæreticorum exterorum copias in Galliam transduxit, urbes & oppida expugnare tentavit, Tempa everit, Sacra violavit, Ministrosque impietatum substituens, perversam illorum doctrinam publicari, & custodiri iussit, & denique feritatis & sævitæ genus, tam in Dei Ministros, quam in cæteros Catholicæ Fidei Cultores exercuit. Quæ omnia, cum manifesta publica, & notoria sint, cumque nobis plenè, & legitime constet, præsertim ex processu, tempore ejusdem felices recordationis Gregorij Papæ Prædecessoris nostri confecto, & aliis quamplurimis documentis, & gravissimis testimoniis, Henricum quondam Regem, & Henricum Condensem prædictos notorii, & inexcusabilis criminis hæresis, & in hæresi relapsos, atque etiam hæreticorum fautorum reos existere; Nos gladium vindictæ contra eos pro officii nostri debito exerere coacti, vehementer indolemus, quòd illum in hanc prolem detestabilem, ac degenerem inclytæ Borboniorum Familiæ, in qua spectatæ Religionis Candor, & virtutis decus, ac in Sedem Apostolicam observantia omni tempore emicuit, pro his sceleribus convertere debeamus. Itaque in præcelso hoc folio, & in plenitudine potestatis, quam ipse Rex Regum, & Dominus Dominantium, licet nobis indignis tribuit, constituti, Auctoritate Dei Omnipotentis, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, & nostra, ac de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Consilio, pronuntiamus, & declaramus Henricum quondam Regem, & Henricum Condensem supradictos fuisse, & esse hæreticos, in hæreses relapsos, & impenitentes, hæreticorum quoque Duces, Fautores, & Defensores manifestos, publicos, & notorios, sicque læsæ Majestatis di-

vinæ reos, & orthodoxæ Fidei Christianæ hostes, adeo ut nulla possint se tergiversatione, aut excusatione defendere, & proinde eos damnabiliter incurrisse in sententias, censuras, & penas Sacris Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis, legibusque generalibus, & particularibus contentas, ac hæreticis relapsis, & impœnitentibus debitas, & specialiter eosdem fuisse, & esse ipso jure privatos, Henricum quondam Regem, videlicet prætenso Navarra Regno, illiusque parte, quam adhuc obtinuit, nec non Bearnî; alterum verbò Henricum, Condensî, & utrumque eorumque posteros omnibus, & quibuscunque aliis Principatibus, Ducatibus, Dominiis, Civitatibus, & locis, feudisque, & bonis, etiam emphyteuticis, & successioneibus, necnon dignitatibus, honoribus, muneribus, & officiis, etiam regis, ac jurisdictionibus, & juribus, quæ de facto detinent, & ad quæ jus quomodolibet habuerunt, seu prætendunt, eosdemque propterea se illis reddidisse indignos, ac fuisse, & esse inhabiles, & incapaces ad illa retinenda, & alia hujusmodi in posterum obtinenda. Ac pariter eos ipso jure privatos, & incapaces, ac inhabiles ad succedendum in quibuscunque Ducatibus, Principatibus, Dominiis, & Regnis, ac specialiter in Regno Franciæ, in quo tot atrocità, & nefaria crimina patrarunt, ac Regno ipsi annexis Dominiis, jurisdictionibus, & locis, cæterisque omnibus bonis, & rebus prædictis, & ad illa aliàs quomodocunque acquirendum, prout etiam ex abundantia, & in quantum opus est, Nos illos, illorumque posteros privamus in perpetuum, videlicet Henricum quondam Regem Regno Navarra, & illius parte, ac Bearnî, & alterum Henricum Condensî, ac utrumque, & eorum posteros aliis Principatibus, Ducatibus, Dominiis, Feudis, ac cæteris omnibus bonis, & rebus, necnon jure succedendi, & acquirendi, aliisque prædictis universis, & singulis: ac etiam in perpetuum inhabilitamus eosdem, eorumque posteros ad illa, & ad successionem in quibusvis Principatibus, Ducatibus, Dominiis, Feudis, & Regnis, & signanter in Franciæ Regno, & illi annexis omnibus prædictis; Supplentes omnes juris, & facti defectus, si qui forsitan intervenerint in eisdem. Quin etiam Procures, Feudatarios, Vasallos, Subditos, & Populos Regnorum, Ducatum, Principatum, & aliorum Dominiolorum prædictorum, etiam alium Superiorem non recognoscetes, ac cæteros omnes, qui illis quomodocunque juraverunt, à juramento hujusmodi, ac omni prorsus domini, fidelitatis, & obsequiis debito perpetuo absolutos esse, prout Nos illos omnes tam universè, quam singulatim auctoritate præsentium absolvimus, & liberamus, præcipimusque, & interdiciamus eis universis, & singulis, ne illis, eorumve monitis, legibus, & mandatis audeant obedire: qui secus fecerint, eos excommunicationis sententia innodamus eo ipso. Cæterum eundem charissimum in Christo Filium nostrum Henricum Francorum Regem Christianissimum per viscera misericordiæ JESU Christi hortamur, rogamus, ac etiam monemus, ut memor præstantissimæ Fidei, & Religionis Regum Majorum suorum, quam quasi hæreditatem longè ipso Regno potiore ab eis accepit, memor, etiam illius juramenti, quod in ejus coronatione de exterminandis hæreticis solenniter præstitit, auctoritate, potestate, virtute, atque animi magnitudine verè regìa ad executionem tam justæ hujus sententiæ nostræ incumbat, ut scilicet in hoc quoque gratum se Omnipotenti Deo exhibeat, & Matri suæ Ecclesiæ obsequium debitum persolvat. Præterea omnibus Venerabilibus Fratribus nostris, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis per Regnum Franciæ, Navarra, Bearnî, & alia prænominata loca constitutis in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, & mandamus, ut cum primum harum litterarum exempla ad eorum manus pervenerint, illa publicari faciant, & quantum in ipsis

erit, ad effectum perducere curent. Volumus autem, quòd eadem præsentis litteræ nostræ ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, & in acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affigantur, & publicentur, quòdque earum exemplis, etiam impressis, ac Notarii publici manu, & Prælati Ecclesiastici, ejusque Curie Sigillo obfirmatis, eadem prorsus fides in Judicio, vel extra illud ubique gentium habeatur, quæ haberetur istis præsentibus, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam nostræ pronuntiationis, declarationis, privationis, inhabilitationis, suppletionis, absolutio- nis, liberationis, præcepti, interdicti, innodationis, hortationis &c. infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ, apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ, Milleesimo quingentesimo, octogesimo quinto, quinto Idus Septembris, Pontificatus nostri, anno primo.

A. de Alexiis.

† Ego SIXTUS Cath. Ecclesiæ Episcopus.

Ego Joan. Ant. Episc. Tuscul. Card. S. Georgii.
Ego M. S. Cardin. ab Altaemps.
Ego Ju. Ava. Card. de Aragon.
Ego P. Card. Sanctacrucius.
Ego Gulielm. Card. Sirlitus.
Ego Mich. Do. Card. Alex.
Ego Lud. Card. Madrutius.
Ego N. Cardinal. Senonensis.
Jul. Ant. Sanctorius Card. Severin.
P. Card. Cæsius.
Ego Hier. Card. Rust.
Ego Jo. Hier. Card. Albanus.
P. Card. Diza.
Ego Ant. Card. Caraf.
Joan. Ant. Card. SS. Quatuor.
Joan. Bapt. Card. S. Marcelli.
Aug. Card. de Verona.
Ego Vincen. Card. Montis Regalis.
Ego M. Card. S. Stephani.
Scipio Card. Lancellottus.
Ego Ferd. Card. de Medicis.
Phil. Vast. Card. Cam.
Ego Vincent. Card. Gonzaga.
Ego Fr. Card. Sfortia S. Nicol.
Alex. Card. de Montalto.

Anno à Nativitate Domini 1585. Indiæ. 13. die verò 22. Mensis Septembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Sixti divi- nâ providentiâ Papa V. anno primo, retrospectivè litteræ affixæ, & publicatæ fuerunt in Basilica Principis Apostolorum de Urbe, & in acie Campi

Flora per Nos Hieronymum Lucium, & Nicolaum Talliottum, Sanctiss. D. N. Papae Cursores.

Joan. Andreas Panizza, Mag. Curf.
Joan. Cayanus Cur. Card. Camerae
Apostolicae Ibotus Ful.

II.
Ex Mem.
du Clergé
de France,
Tom. 4.
pag. 775.

Instante Henrico III. Galliarum Rege Clero ejusdem Regni permittit alienationem bonorum immobilium, quae centum millium scutorum annuos fructus non excedant, modò Rex perseveret in bello contra haereticos: anno 1586.

SIXTUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, Dilectis Filiis Carolo à Bourbonio, & Ludovico à Guisla, Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyteris Cardinalibus; ac Venerabilibus Fratribus Hieronymo Bergomensis, nostro, Scilicetque Apostolicae in Regno Franciae Nuntio, & Petro Parisiensi, Episcopis, nec non dilectis etiam Filiis, Florentio Regnard Turonensi, & Ludovico Segnier Parisiensi, Decanis, ac Petro Ruelle Cantori etiam Parisiensi, nec non Joanni Le Roy, similiter Parisiensi, & Bono Broë Capelle nuncupatae Palatii Parisiensis, Ecclesiarum Canonis, ac aulam Regiam Franciae nunc & pro tempore sequentibus, Syndicis Generalibus Cleri, Salutem, & Apostolicam benedictionem.

Cum charissimus in Christo Filius noster Henricus Francorum Rex Christianissimus suis literis & Nuntii, nobis significaverit, se jam omnes propemodum modos tentasse reducendi haereticos, qui jam aliquam partem regni sui infecerant, in viam veram & Catholicam, ac tot retroactis saeculis in illo Regno usitatum magna cum pietatis laude, & ipsius regni tranquillitate, nec tamen quicquam proficere potuisse: volens satisfacere debito suo erga Deum Omnipotentem, per quem Reges regnant, paci etiam & quieti Regni sui consulere cupiens, scriptum est enim, *Omne regnum in se divisum desolabitur*: conscientiae etiam securitati & animae suae salutem, quae nulla res est pretiosior, prospicere intendens, quando alia via non licuit, ad arma succurrendum duxit, quo hanc pestem ex suo regno ejiceret, & eliminaret: eodem etiam tempore non solum conservacioni Ecclesiarum ac personarum & bonorum Ecclesiasticorum, sed etiam recuperacioni eorum, quae ab his haereticis detinentur, & impie tractantur, diligenter intenderet; cum alioqui de his omnibus rationem Deo redditurus divini Judicii ultionem merito reformidare cogatur, si, remissè ac negligenter negotium Dei ac Religionis, Ecclesiarum etiam & bonorum occupatorum tractaret. Quare cum jam arma sumpserit, in hoc Sancto proposito constantissime obfirmatus, justum esse duxit, ut Clerus etiam Galliae partem oneris sustineat; quod etiam ipse idem Franciae Clerus legitime congregatus necessarium judicavit, istis bellorum tempestatibus Regi succurrendum esse, etiam per alienationem bonorum immobilium. Nobis itaque supplicari fecit, ut dicto Clero facultatem vendendi bona mobilia, vel immobilia usque ad valorem centum millium scutorum in redditibus annuis concederemus. Nos considerantes, quod si bellum hoc cum exitum habuerit, quem & optamus & aspirante regis conatibus divina clementia firmiter speramus, Ecclesiasticus Ordo, non solum conservabit,

quae nunc possidet, sed recuperabit jam ab haereticis occupata, quorum non parva summa est: postulatus Regis libenter annuimus, ita tamen ut hic ordo servetur, in praesens quinquaginta tantum millia alienentur; Quae summa, ut quam minimo Ecclesiarum detrimento efficiatur, & fideliter atque utiliter in usum designatum erogetur, hunc ordinem servari jubemus, ut singulis Ecclesiis, etiam Metropolitanis ac Primatialibus, Monasteriisque, Prioratibus tam virorum, quam mulierum, dignitatibus etiam Conventualibus, majoribus & principalibus, nec non Administrantibus & Officiis, caeterisque Beneficiis Ecclesiasticis, Saecularibus, ac Sancti Benedicti, Sancti Augustini, Cluniacensis, Cisterciensis, Praemonstratensis, Grandimontensis, Fontis-Ebraldi, & quorumcumque aliorum Ordinum Regularium, nec non Capitulorum, Conventuum & Locorum omnium in Regno Franciae, & Dominiis eidem Regi ultra montes subjectis, consistentium, eorumque Mensarum, & annexorum: non tamen Mendicantium, & Pauperum, utriusque sexus, ac exceptis etiam omnibus Parochialibus Ecclesiis, trecentarum librarum, simplicibusque Beneficiis, quae centum librarum valorem annuum non excedunt, ac Hospitalibus Sancti Joannis Hierosolymitani: pro tertia tantum parte, quae eos tangeret, habita prius diligenti redditus ejusque eorum indagacione, prius bona mobilia, si id commodè fieri poterit, nec non decimas, & alios redditus annuos, deinde bona stabilia, vel ad longum tempus locandi, vel pignori dandi, vel potremò si haec omnia satis non fuerint, alienandi, sylvas caedendi: modò tamen alienatio illorum bonorum fiat, quae minus sint utilia, & quibus carere Ecclesia facilius possit, dummodo non sint primaria feuda, aut domus principales Beneficiorum, vel oppida mœnibus cineta, loca insignia, aut alia bona, quorum alienatio dignitatem Ecclesiis, Beneficiis, Ordinibus, & Locis praedictis imminuat, atque etiam, si fieri possit, illa cautio adhibeatur, per quam Ecclesia à suo jure in perpetuum non sit exclusa, sed possit vel per affrancacionem, vel alia convenienti ratione aliquando illa recuperare; atque ista alienatio non nisi personis notorie Catholicis, & non minori precio fiat, quam ad rationem viginti quatuor denariorum pro singulo denario, ita ut alias facta alienatio irrita sit & invalida: Quòdque una Provincia, seu una Diocesis, vel unum Beneficium pro alio non gravetur ad solutionem taxae sibi impositae: sed sit liberum, & pro alio minime obligatum censeatur. Solutiones autem pecuniarum hujusmodi Cleri nomine, vel in singulos menses, aut alias, prout commodius videbitur, per manus eorum, quibus à vobis haec tributa fuerit autoritas, atque etiam cum consilio & assensu Venerabilis Fratris nostri Episcopi Bergomensis, Nuntii nostri, vel alterius ejus loco surrogandi, fieri mandamus. Ad haec autem omnia, quae super his necessaria & opportuna videbuntur, agenda, & exequenda, tam vobis, de quorum fide & integritate plurimum confidimus, & quorum conscientias oneramus, quam etiam praedicto, & pro tempore existenti Nuntio nostro, plenam, & liberam per praesentes damus & concedimus facultatem; Declarantes emptores bonorum Ecclesiasticorum hujusmodi, eorum successores, & causam habentes ab eis, illa tamquam prophana, propria, paterna, & avita possidere, & de illis, illorumque fructibus liberè disponere posse. Alia verò quinquaginta millia, eadem omnino quae supra formam servata, post tres Menses, scilicet post Kal. Maji, exigendi facultatem concedimus: Cum conditione tamen, si eos progressus in bello fieri viderimus, ut finis supra dictus recuperacionis bonorum Ecclesiasticorum jam occupatorum sperari possit, nec fervor iste expellendi ab regno haereticos remittatur. Sicut enim progressus ad Dei gloriam, & honorem, & religionis